



**Problemata Evangelica Ut plurimum Emblematis
Coronata. Sive Quæstiones Curiosæ In singula Evangelia
Dominicarum Totius Anni**

Hartung, Philipp von

Egrae, 1689

Problema XL. Cur tertiam feminis sui partem perire sinat cœlestis Agricola.
Dominica Sexagesimæ. Exiit, qui seminat seminare semen suum. Lucæ 8.
v. 5.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76102](https://urn.nbn.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-76102)

diligitur; de novissima Beniamini tribu Saul est, & in Protoregem Israe-
lis inungitur; novissimus inter
fratres David est, & ad sceptrum e-
levatur; novissimus Davidis filius
Salomon est, & regni hæres duode-
cimo ætatis anno declaratur; no-
vissimus Apostolorum Paulus est,
& plus omnibus laborando mere-
tur. novissima in Apostolorum
confessu in monte Sion MARIA

Virgo est, & parem non habet, nè
primis quidem ex ordinibus Ange-
lorum. Novissimus virorum MA-
RIAE Filius est, & hic principium &
finis, princeps Regum terræ, pri-
mogenitus omnis creaturæ, ex quo
disce: *primus ut sis, novissi-
mus esto.*

Coloff. I.
v. 15.



PROBLEMA XL.

Cur tertiam seminis sui partem perire sinat cœ-
lestis Agricola.

DOMINICA SEXA- GESIMÆ.

Exiit, qui seminat seminare semen suum.

Lucæ 8. v. 5.

S. I.
Brevicula
parabolæ
expositio.

Emerarius sit, qui ali-
ter evangelicam ex-
plicare præsumat pa-
rabolam, quām cœ-
lestis ipse met Magi-
ster exposuerit. Ca-
vendum est, monet in c. 15. Matthæi
Hieronymus, nè vel aliud vel plus
velimus intelligere, quām ab ipso ex-
positum est. Seminator Christus est
ut Beda docuit: *Seminatorem istum
nullum melius quām Filium DEi in-
telligere possumus, qui de sinu Patris
egressus est.* Seminavit ab orbe con-
dito in cordibus hominum semen
suum, dum lumen illis naturale in-
didit ad dignoscenda vera à falsis,
æterna à caducis, utilia à noxiis, nec
cessat hac & omni horâ per inspi-
rationes internas, monita externa,

per leges ecclesiasticas & civiles, per
beneficia & flagella seminare semen
bonum doctrinæ suæ, quæ nos de-
clinare à malo, & bonum jubet ope-
rari. Exiit hic Seminator, unde
quæsto & quod? *unde exiit* (quærit
S. Chrysostomus homil. 45. in
Matth.) qui ubique præsens est? qui
omnia replet? aut qualiternam exiit?
certè non loco sed habitudine, atque
Incarnationis dispensatione propin-
quior nobis factus. Seminavit Fili-
us (inquit D. Bernardus) ipse est e-
nīm, qui exiit seminare semen suum.

Bern. serm.
de S. Be-
nedict.

Pater non exiit, sed Filius à Patre
processit & venit in mundum, ut
qui priùs erat cogitatio pacis in cor-
de Patris, fieret & ipsepax nostra in
utero Matris. Exiit quodammodo
ex seipso, dum urgente vi amoris in
ama-

H h

Problemata P. Philippi Hartung.

amatum transiit, amantis enim anima, inquit ex Aristotele Publius Mimus, in alieno corpore vivit. Exiit non expectans, dum vocaretur, sed ultro gratiarum suarum semina in corda nostra jecit, ut se quam maximè paratum in salutem nostram declararet. Semen suum vocat, qui hoc solum suum reputat, quod aliis donat. Suum vocat non tantum ut differentiam inter suam & Philosophorum ac Prophetarum doctrinam indicet, qui non suum sed aliunde acceptum (omne enim donum perfectum de sursum est descendens à patre luminum) seminârunt verbum, sed etiam ut admireris Verbi pretium, quod in salutem nostram prodigere non dubitat: certè tam pretiosum hoc semen est, ut si Doctori Angelico credimus, minimum ejus granulum toti præponderet universo, tam pretiosum hoc semen est, ut non minori reverentiâ dignum, si fides Augustino, quam Sacrosancta Eucharistia; tam pretiosum hoc semen est, ut pro eo suam ipse ponat animam & impendat vitam. Tam pretiosum hoc semen est, quam sit ipsemet Seminator, ipse enim est Verbum Dei. Verum si semen tanti est pretii, cur in terram deviam, lapideam, spinosam projicitur, ubi perire necesse est? O Sancte Prodigie (exclamo cum Chrysologo) cur semen tam pretiosum continuò prodigis, cur impensis & labori non parcis, cur infaustam terram maledicto non feris & deseris? qui habet aures audiendi causam prodigie sparsi seminis audiat, & hoc ipsum divini verbi semen non prodigat.

Problema à me hodie propositum, cur Seminator cœlestis tres seminis sui partes eō jecerit, ubi fructum non afferendum prænōrat, pridem expendit resolvitque D. Chrysostomus homil. 45. in Matth.

§. 2.
Causa prima, quia nullius fatus desperanda.

quomodo credendum est in vepribus & in lapide & in via prudentem hominem seminare? in agris certè & in seminibus qua terra mandantur, stulte factum videretur: in animis autem atque doctrina probè atque laudabiter possibile enim est, ut lapis in terram fertilem convertatur, & ut via non conculceretur, sed in uberes agros traducatur nec vepres emittat & semina foreat. Est homo ager quidam voluntarius, qui virtute jacti seminis ex terra sterili in foecundam, ex spinosa in amoënam, ex petrofa in mollissimam potest transmutari; potens enim est Deus de lapidibus istis fuscitare filios Abrahæ. Ager devius fuit Saulus & Latro JESU crucifixus, quorum utrumque Sator cœlestis projecto gratiæ semine fecit esse frugi, illum quidem in agro Damasceno prostratum & quasi conculcatum reducens in viam, hunc verò in Golgothæ monte Crucis suæ umbrâ in lucem gratiæ adducens, dignos reddidit ambos, ut & latro eâ adhuc die esset in paradiſo, & Paulus in tertium raperetur cœlum, facti ambo tanquam agrî pleni, quibus Dominus benedixit. Ager petrosus fuit Thomas, & tamen beneficio divini seminis in terram mollissimam mutatus est. Ager plenus spinarum fuit Matthæus & Zachæus, Magdalena & Samaritana, & tamen in terram mundissimam abiére, de qua Ezechiel c. 36. v. 35. terra illa inculta, facta est, ut hortus voluptatis. Nimirum ut D. Augustinus l. 1. de Civit. c. II. monuit, nullus adeò iniquus est, cui fatus sit omnino desperanda. Non desperavit de Salute Herodis Ioannes Baptista, et si sciret senticetum esse voluptatum, petram scandalum, viam regiam dæmoniorum. Non desperavit de salute Annæ & Caiphæ & quotquot erant de genere sacerdotali Petrus, ad quos ferventissi-

R̄issimam habuit exēgesin A&t. 4. à v. 9. Non desperavit de salute Fe-
licis pr̄æsidis Paulus, cuius conver-
sionem potentissimis de justitia &
castitate & judicio futuro disputa-
tionibus urgebat A&t. 24. v. 25. non
desperat unquam de perversione &
ruina justi diabolus, cur nos diabo-
lo magis pusillanimes de conversi-
one & salute peccatoris desperare-
mus? truculentissima certè bestia
inquit de dæmone Chrysostomus
homil. 10. in Matth.) nunquam solet
desperare victoriam, nunquam no-
stram desperat perditionem. vicissim
ergo & nos nunquam peccatoris
desperemus salutem, ex Zizanio
potest fieri triticum, ex agro sterili
fœcundus, ex petra mollis gleba, ex
sentice hortus voluptatis. Lau-
dat Lupum Episcopum Sidonius
Apollinaris, quod animo ceciderit
nunquam, cum casus suorum cer-
neret, quin potius secuturæ spe pœ-
nitentiæ omnem convertendis iüs-
dem operam impenderit. Nōstī,
ut appareat, ex adversa acie sauciatus
Dux veterane colligere, Esperitissi-
mus Tubicen ad Christum à peccatis
receptui canere, Evangelici Pasto-
ris exemplo non amplius letaris, si
permaneant sani, quām si non perma-
neant desperati. Ita Sidonius A-
pollinaris l. 6. ep. 1, ad S. Lupum
Episcopum Trecis.

§. 3.
Lapſus in
ſcelera eſt
aliquando
eſſetq; di-
vine p̄ræ-
deſtiuationis.

S. Greg. 1.
11. moral.
l. 26.

Quid? quod ipse Sator cœlestis
permittat terram prius frugiferam
sterilescere, lapidescere, senticesce-
re, volo dicere, permittit electum in
gravissima prolabi ſcelera, ut exinde
fanior, ſapientior ac ſanctior resur-
gat atque ex ipsis ſceleribus profici-
at ad virtutem & ſalutem, eſt enim
inter p̄rædestinationis divinæ,
ut Scholæ loquuntur, eſſetus per-
missio lapsuum in peccata. Discre-
tus quisque inquit D. Gregorius, ex
eo quod male egisse se intelligit, ad di-
ſcretionis regulam arduus ſe reducit,

Et inde altius ad justitiam proficit, unde ad tempus à justitia decidisse vide-
batur, quia nonnunquam etiam culpa
fortium, occasio virtutis fit.

Fortissimus Samson prodigi-
osam illam fortitudinem suam ca-
pillis adscripsit: ferrum nunquam
ascendit super caput meum, quia Na-
zaraeus, id est consecratus D'eo sum de
utero Matris meæ Jud. 16. v. 17. cur
donum fortitudinis capillis DEus
illigavit, & non potius lacertis bra-
chiorum vel certè digitis manuum
inſeruit? David certè acceptam à
DEo fortitudinem in manibus repo-
nit: qui docet manus meas ad p̄ræ-
lium & digitos meos ad bellum. non
ita Samson, sed totam in cæſarie nu-
merat fortitudinem: ferrum nun-
quam ascendit super caput meum, id
circo nec hostile ferrum subigit
corpus meum. Habent hoc capili-
singulare, quod à vulnere vegetio-
res crescant, digitus verò aut ma-
nus si amputetur, non crescit ampli-
us, ut meritò abſcissæ cæſarie id
quod viti putatæ adſcripſeris: ex
vulnere crescit, manuī verò: sub
vulnere perit. Maluit itaque ca-
pillis DEus suam addicere gratiam
quām brachio, quia caput rasum
solidiores ac pulciores progermi-
nat crines, docens nullā vi fieri pos-
ſe, inquit Baëza, ut ſationes divinæ
etiam post lethale vulnus, nonite-
rum crescant. Allusit huc D. Pe-
trus Dam. opusc. 7. c. 23. Philistæi
crimes Samson potuere radere sed non
evellere; quia & iniqui spiritus licet
charismata Spiritus Sancti à te ad tem-
pus excluserint, non p̄eſtant divi-
ne reconciliationis remedium irrepa-
rabiliter abnegare. Sinite agrum
sterilescere, nec tamen ideo despe-
rate de fructu, reddetur enim si cœ-
lestis Sator voluerit, à sterilitate fœ-
cundior. Et nunquid Samson ipſe
post capillorum jaſturam, post viri-
um enervationem, post oculorum

Figura pri-
ma Samson

Bac. to. 3.
1. 10. c. 24.
§. 2.

effosionem, post servitutem la-psumque turpissimum surrexit fortior, ac hostibus preclarâ ultione graviorem stragem moriens intulit, quâm unquam vivus patrârat? Eleganter de Samsone Bacchiarius epist. de recip. lapsis: *Samsone cum in perniciem sui mulieris blandimenta viciſſent, poſtmodum in fine obitûſ ſui majorem inimicorum exercitum proſtra viſſe, quâm ante a quan-do Nazaræus, id eſt, immaculatus re-peritur.* Sensato ænigmate plena sunt illa Ecclesiastici verba: *melior eſt iniqüitas viri quâm mulier benefaciens.* potestne iniqüitas eſſe bona? imò melior virtute ipsâ? & cui bona? in ſe nunquam bona, aliquando tamen bona viro sapienti & fide-li dicitur iniqüitas, ſicut bona eſt ſetio vitibus, morsus lupinus equo, cicatrix militi strenuo, nimirum cùm qui prolapsus eſt, fortior exurgit & virilibus facinoribus priftina compensat flagitia. *melior eſt iniqüitas viri quâm mulier benefaciens,* quia sanctior redditur justus poſt lapſum, quâm innocens tepidus in quotidianis ordinariæ pietatis ope-ribus perdurans.

Figura Se-cunda
Moyses.

Exod.
32. v.

Memorabili figurâ veritatem hanc in Moysē expressam video. Redierat is ex monte portans duas tabulas testimonii in manu sua ſcrip-tas ex utraque parte, cùm ecce po-pulum vitulari & turpissimo idolomaniæ ſcelere contaminari videt, nec ſe continet, quin utramque ta-bulam abjiciat, confringat, & pro nova lege oraturus DEum, repeatat montem. Rediit, quadraginta di-es iejunus oravit, novas tabulas ob-tinuit, quas cùm referret, cornutus apparuit: *ignorabat, quod cornuta eſſe factes ſua Exod. 34. v. 29. in hebraico eſt: non ſciebat quod radians eſſet facies ejus;* in Chaldaeo: *Moyses autem nesciebat, quod multiplicatus eſſet splendor vultus ſui.* Non

radiat Moysi facies, cùm primâ vice de monte venit, ſed poſtquam tabu-las confringit, confractâſque reſtau-rat. *cum prioribus tabulis facies Moysis non refuſit, ſed accepione ta-bularum posteriorum ſplendida facta eſt inquit Rupertus l. 5. in Joan.* Sic in iuſtis accidit, ſiquando divinæ le-gis tabulas frangunt, poſt legifragi-um enim & feriam poenititudinem il-luſtriores virtutum radios emittunt.

Ex nigredine ſplendorem ac pulcritudinem ſuam commendat Sponsa: *Nigra ſum ſed formosa* Cant. 1. v. 5. nigra à peccato, formo-fa à poenitentia, imò formosior poſt poenitentiam quâm ante peccatum. Applicat hæc Salomonis verba Paraphraſtes Chaldaeus idolomanico populo, qui poſt peractam poenitentiam majoribus à DEO splendo-ribus exornatus eſt: *quando Iſraelite fecerunt vitulum, denigratae ſunt facies eorum & quando egerunt poenitentiam, & dimiſſum eis fuīt pecca-tum, multiplicatus fuīt ſplendor gloriæ vultus eorum, ſicut vultus Angelorum.* Nigrefſunt quidem ſponsæ Christi, cùm peccati maculam con-trahunt, verū ubi poenitentiae la-crymis eandem diluerunt, longè majorem con-trahunt formosita-tem. non Angelo, non innocentii homini ſed peccatri ci animæ di-ctum eſt: *Specie tuā & pulcritudine tuā intende prospere, procede & regna.* ita enim psalmi verba D. Lau-rentius Novariensis homil. de eleemosyn. exponit: tibi hoc dicit, qui criminibus cedis, ad te loquitur, qui criminibus vinceris. Plora com-punctus, ut poſſis recipere ſpeciem cordis & pulcritudinem corporis. Ex ſericis lappulis quas muſcas pul-critudinis vocant, pulcritudinem ſuam augere amant noſtrates domi-cellæ: ex præteritis peccatis multo dolore deletis, ſplendores exaugent ſuos animæ peccatrices.

Non

Figura 3:
Iſraelite-i-
dololatres

Figura 4.
Ninive.

Non unam animulam sed civitatem integrum accipiamus Niniven, cuius salus deplorata poterat videri, cum decretoria promulgata jam fuerit sententia: *ad huc quadriginta dies & Ninive subvertetur.*
Joan. 3.v.8.

Audiunt sententiam Ninivitae: nec tamen desperant, sed quasi perbelile callerent illam sententiam quam multis post seculis Cyprianus protulit: in eodem articulo temporis, cum jam anima festinat ad exitum, & egrediens ad labia spirantis emerferit, poenitentiam clementissimi DEi benignitas non aspernatur: nec serum est quod verum; & quæcunque necessitas cogat ad poenitendum, nec quantitas criminis, nec brevitas temporis, nec horæ extremitas, nec vitæ enormitas, si vera contritio, si pura fuerit voluptatum mutatio, excludit à venia. quasi inquam calluissent hanc solatii plenam sententiam, ad saccos & cineres præeunte Sardanapalo Rege recurruunt: *operiantur saccis homines & jumenta, & clament ad DEum in fortitudine.* quis scit si convertatur & ignoscat DEUS. dubiam ponit Rex veniam, ut ad acerbiorem incitet poenitentiam: *ideò ambiguè profert,* inquit Remigius in glossa, *ut dubii de salute fortius agant poenitentiam.* Et vero egere tam feliciter, ut non modò imminentem cladem averterint, sed longè ampliori felicitate, splendoribus ac triumphis quam unquam antea, à propitio Numine fuerint donati. En ut nullius desperanda salus! en ut ager sterilis & petrarum spinarumque plenus inferacissima convertatur jugera! encur in scelera DEus homines labi permittat, ut dubii de salute fortius agant poenitentiam.

Figura 5.
Jonas.

Ninivitis Jonas accedit, qui & ipse ad numerari poenitentibus suóque nos docere potest exemplo, priorem lapsum velocioris cursus

esse calcar & incentivum. ceciderat Jonas DEO refractorius, usque in ceti ventrem, ex quo cum respirasset, surrexit & abiit in Niniven non testudineo gressu sed aquilino pœne volatu cœpit introire civitatem itinere unius diei. cur tam festinanter ô Jona? quin prius te siccias post balneum, reficis post jejunium, respiras post naufragium? Erat Ninive tantæ magnitudinis, ut vix trium itinere dierum circuiretur, at Jonas memor præcepti & prioris naufragii iter trium dierum, ait Hieronymus, *festinatione unius diei complevit.* Nimirum subitus fervor longum vincit tempore, & lapsus anterior posteriore stimulat cursum.

Ex hoc quod justus cadit, inquit Doctor Angelicus, resurgit cautor & humilior. nuper in Hispania nobilis ostentationis gratia equum agitabat in foro, sed ab equo in cloacam projectus, ex coeno surrexit & in coenobium se proripuit risurus mundum, à quo irridebatur. Equitabat David insolenter, sed in lutum fœcis cecidit, cuius tamen pedes supra petram DEus statuit & immisit in os ejus canticum novum. ecce quis inde fructus etiam in alios: *videbunt multi & timebunt, nè candard, & sperabunt in Domino si ceciderunt.*

Pl. 39.v.4.Job. 12.
v. 13.

Balteum Regum dissolvit, inquit de justis Job, quos Regum titulo compellat, balteum Regum dissolvit, quando in his (verba sunt Magni Gregorii) qui bene regere sua membra videbantur, propter elationis culpam, castitatis cingulum destruit. ita balteum Regis Davidis, balteum Augustini, balteum Jacobi eremitæ & sexcentorum dissolvit, ut dissolutos ad arctiorem salutis semitam & solidius continentiae cingulum induceret. Audiamus quid Augustinus dicat: *audeo dicere super*

S. August.
i. 4. civit.
13.

Hh 3

perbis esse utile cadere in aliquod apertum manifestumque peccatum.

Figura 7.
Arca fœ-
deris.

Denique nè longior sim, figuram justi lapi elegantissimam in Arca foederis aspicio, quæ ut habetur 1. Reg. 4. & 5. capta à Philistæis anno M. 2939. ante Christum IIII. inque triumphum circumducta & primario Dagonis fano, (Veneris erat statua superiore parte feminam, inferiore pisces referentis, velut Siren pingi solet: illata majorem stragem inter Philistæos edidit, majorique cum gloria in Silo (civitas erat in altissimo monte octo milliaribus Italicis Solymis diffusa) deducta & triumphali pompâ fuit celebrata, quam si nunquam capta fuisset. pessimi enim ulceribus percussi Philistæi & pestilentia famaque consumuti pœnas quidem temeritati, gloriam verò DEo vivo & vero dederunt. Capitur à dæmonibus subinde animula electa, & in fannum Veneris inducitur, verùm ubi captiva anima in se redit, per insolentes & generosas mortificationes detruncat Venerem, confundit dæmonem & jejuniis ac pœnitentiis, quæ sunt diabolo instar famis & pestis, totum pessumdat infernum.

§. 4.
Altera
causa, ut li-
beralita-
tem suam
& curam
salutis no-
stræ osten-
dat.

Patet ex his omnibus nullius desperandam salutem, nec rationalis ullius agri, ut ut sterilis sit, culturam negligendam esse, sapienterque proinde à divino Agricola semen in terram sterilem, petrosam & spinosam dispergi, cùm spes esse possit divini virtute seminis sterilem in fœcundam commutatum iri. At maneat nihilominus vitio suo semper ager aridus & spinarum petrarumque plenus, prævideatque indubitate hoc Agricola, semen nihilominus jacit, ut liberalitati suæ non desit, nec inter agrum & agrum, personā & personam discernere videatur. Ratio hæc iterū Chrysostomi est italoquentis hom. cit. quemad-

modum agricola seminans nō discernit campum, ut in altera parte seminet, in altera vero minime, sed ubique projectat semina, eodem modo Salvator noster non di-vitem, non pauperem, non ingeniosum aut rudem discernit, sed in omnibus, quamvis non ignoret futurum exitum, pietatis doctrinam commendat. Sic certè licebit ei dicere: quid oportuit me facere, nec feci? ha-
stenus orator aureus.

Sicut Pater cœlestis solem suum oriri facit super bonos & malos, ut boni evadant meliores, mali verò divinis beneficiis emolescant, ita & Filius ac Sator divinus semen suum in bonos & malos spargit, ut omnibus innotescat divina clementia & profusa in omnes liberalitas. De fluvio, qui paradisum irrigabat, ita scribit sacer Geneologus: *fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum, qui inde dividebatur in quatuor capita Gen. 2. v. 10.* in quatuor fluvios fons paradisi dividebatur, quorum primus Phison dictus terram Hevilath inter Syriam & Palæstinam sitam irrigat; alter Gehon Aethiopiam & Aegyptum fœcundat; tertius Tigris Assyrios inundat; quartus Euphrates terram promissionis alluit. decuisset fortasse ut paradi aquæ solam promissionis terram irrigarent, at vix alluunt eandem, idolomanicas potius gentes & juratos electi populi hostes fovent, ut summam DEi benignitatem exprimant, qui inimicos præ amicis cumulat felicitate & gloria; & plus seminis in terram indignum quam aptam projicit, ut quam cordi illi sit salus nostra, manifestet.

Tanti salutem nostram Christus facit, ut vocet eam Omnia: *omnia mihi tradita sunt, non cœli & terra & elementa intelligenda sunt inquit Hieronymus, sed hi qui per Filium accessum habent ad Patrem, pluris ille salutem nostram; quam suam*

§. 5.
Quantam
Salutis
nostræ cu-
ram Chri-
stus gerat

siuam aestimat Majestatem, per quam ingeniosè id David expressit Ps. 50, quoniam si voluisses sacrificium dedissem utique: holocaustis non delectaberis. Sacrificium DEO Spiritus contribulatus. holocausta sunt auctus religionis ad contestandam Dei excellentiam, contribulatio Spiritus, est auctus pœnitentiae, multo inferior virtus, ac religio. cur ergo pœnitentiam pluris facit quam sui adorationem? quia nostram salutem pluris quam suam facit majestatem. Majestatis erat abundare divitiis, nec quidquam repugnat magis majestati quam infima egestas, & tamen cum dives esset, propter nos egenus factus est. pauper Christus factus est, ut nos illius paupertate ditescamus inquit D. Gregorius Nazianzenus orat. in pascha. Serviformam accepit, ut nos libertatem recipiamus, descendit ut evehamur, tentatus est, ut vincamus, contentus est, ut nos gloriā suā afficiat, mortuus est ut servet, ascendit ut ad se trahat humi pro volvutos in peccati lapsu. Majestatis erat non clamare neque extollere vocem foris, clamavit tamen, etsi vates dicat: non clamabit, videlicet ad injurias proprias amoliendas; clamabit verò ad Salutis nostrae negotium procurandum. Mandat suprema Majestas Zachariæ prophetæ, ut coronas quam plurimas ex auro & argento fabricet easque capiti Sacerdotis Summi IESU, filii Iosedech imponat, ut videre est Zachariæ 6. v. 11. cur tot uni coronæ? quia Iesu iste Sacerdos personam Domini IESU agit, in quo multæ sunt ad coronandos Electos coronæ. Sed cur coronas quas distribuere parat, in

capite potius quam manibus gestat? quia coronas quas elargitur, ita sibi proprias putat, ac si in suo capite residerent, inquit Sylveira ex D. Hieronymo: ponuntur coronæ Iesu Filio Iosedech Sacerdoti magno, quia nobis proficientibus & reversis ad meliora per singulas virtutes nostras Dominus coronat, immo nobis virtute pœnitentiae coronatis, Salvator in singulis coronam accipit.

§. 6.
Emblema,

Coronemus hoc problema sa-
cerdimo emblemate, quo IESUM
Crucifixum in monte Calvariae pen-
dente exhibeo, è ejus vulneribus
guttæ theandrici sanguinis velut
grana divini semenis profluunt &
quidem è dextra manu in petram
seu latronem dextrum cum lem-
mate: mollescit. ex vulnere lateris
in spinam seu Longinum: florescit.
ex pedibus in Calvariam Adami sub
cruce secus viam jacentis decidunt:
revirescit. ex manu sinistra in la-
tronem sinistrum exsiliunt, sed à
corvis intercipiuntur, ut sine germe
exarescant: non est mea culpa,
quod aret: Terra terra terra audi
Sermonem Domini: ecce cecidit se-
men divini sanguinis in petras Gol-
gothæ montis, & petræ scissæ sunt.
cecidit secus viam in monumenta eo-
rum, quia jam Viatores non sunt, &
monumenta aperta sunt, cecidit in
spinas, & ecce flores apparuerunt in
terra nostra, ipsaque Crucis area in
hortum abiit: erat autem in loco, ubi
Crucifixus est, hortus Joan. 19. v. 41.
O terra terra terra cordis mei, quin
& tu germinare, florere, fructificare
tandem incipis, postquam toties
in te Verbi & Sanguinis divi-
ni semen cecidit.

jer: 22. 29.



PRO-